

super declarationem sacrae Congregationis concilii in una Terracinen. 11 februar. 1628 et in Monopolitana. 16 decemb. 1628.

85. *Parochi præcepto residentiae personalis non satisfaciunt, qui existunt quidem in parochiali, non tamen per se exercent munera pastoralia, sed solummodo per capellanos.* — Quæritur III. Utrum parochi præcepto residentiae personalis satisfaciunt, fructusque faciunt suos, qui resident quidem in parochiali; non tamen per se exercent officium parochiale, sed solummodo per capellanos, sive cooperatores suos? Resp. I. Parochi neutquam satisfaciunt residentiae præcepto, suæque conscientiae, qui licet in parochiali personaliter existant, nunquam tamen, aut ferme unquam, cessante justo impedimento, sacramentorum administrationem, aliave munera pastoralia per se ipsos exercent: sed omnia ista relinquunt capellanis, et cooperatores suis. Ita Barbosa, part. I. de *Offic. parochi*, cap. VIII. n. 41, allegans Possevinum, de *Offic. curati*, cap. I. n. 10, pluresque alios; Engel, h. t. n. 15; Garcias, part. III. de *Beneficiis*, cap. II. n. 53, citans Congregationem concilii, quæ in una *Nullius*. 3. julii 1591 censuit, cogendos esse curatos ad subeunda per se ipsos, et non per subditos ea munera, ad quæ tenentur, etc. Accedit ratio, quia residere, est ecclesiae deservire per se ipsum, cap. III. et IV. h. t. estque uberius dictum supra § 1. n. 3. et 5. Atqui istud non præstat parochus, omnia munera parochialia exercens duntaxat per suos capellanos: et consequenter, cessante alio legitimo impedimento, peccat, neque satisfacit præcepto residentiae. Eo præsertim, quia in parochis censetur electa industria personæ; sicque majorem erga ipsos confidentiam solent parochiani concipere, quam erga capellanos, seu cooperatores suos, qui cum plerumque sint sacerdotes minus practici, vel saltem inopes et egentes, minoris etiam existimationis esse solent. Unde in c. *Extirpandæ*. 30. § *Qui vero de Præbendâ*. notanter dicitur: « Qui vero parochialem habet ecclesiam, non per vicarium (capellanum, sive cooperatorem) sed per seipsum illi deserviat, in ordine, quem ipsius ecclesiae curæ requirit. »

86. *Potest tamen parochus unum, vel plures habere cooperatores, dummodo etiam ipse quid præstet.* — Per hoc tamen non negatur, quin parochus pro meliori curæ animarum, atque officiorum parochialium executione, nec non et aliquali sua quiete, possit unum, vel plu-

res cooperatores habere, etiam relinquendo ipsi, aut ipsis, munera magis ardua; veluti ire de nocte ad infirmos, peragere divina officia in ecclesiis filialibus distantibus, confessiones multas audire, ac hujusmodi. Nam hoc ipsum probat recepta consuetudo, quæ est optima legum interpretis; imo subinde expostulat ipsa multitudo parochialium onerum, per solum parochum non facile expediendorum. Dummodo tamen ejusmodi cooperatore parochus discrete utatur, videlicet ut socio laboris, et non ut homine, qui solus portet onus diei et æstus: simulque ipsemet parochus, cessante justo impedimento, aliqua etiam munia pastoralia, præsertim principaliora, personaliter præstare non intermittat: atque, ibi is ob specialem quandoque erga eum conceptam confidentiam nominatim vocatur, et expectatur, non recuset venire, curamque et sacramenta per semetipsum administrare: nec non in majori v. g. copia confidentium, ad minus sese præsentem in Ecclesia exhibeat, ut parochiani, si velint, possint ipsum eligere sacramentorum administratorem, sive confessarium. Barbosa d. part. I. de *Offic. parochi*, cap. VIII. n. 41, citans alios.

87. *Quod si nihil præstet, nisi per cooperatores, peccat; sed non videtur teneri ad restitutionem fructuum, neque incidit in alias pœnas non residentium.* — Resp. II. Etsi parochus in parochia personaliter existens, sed munia parochialia solummodo exercens per suos capellanos et cooperatores, cessante justo impedimento graviter peccet, ut dictum: nihilominus non videtur is teneri ad restitutionem fructuum, neque incidit in alias pœnas non residentium. Ita Garcias d. part. III. cap. II. n. 53, vers. *Nihilominus*. post Ugolinum de *Offic. episc.* cap. XV. § 3. n. 3. ac ex parte favet Engel, h. t. n. 16, contra Sylvestrum y. *Residentia*, n. 1. et 6. Joan. Sancium in *Selectis*, disp. 47. et Jacobum de Gafflis in decis. aur. lib. II. c. 92. n. 57. Ratio conclusionis est: quia hujusmodi parochus residet corporaliter; simulque constituendo, suisque sumptibus alendo idoneos capellanos seu cooperatores, curam gerit, ut munia parochialia rite peragantur: ergo in toto rigore juris non potest dici abesse: et non residere ad effectum amissionis fructuum: haud obstante, quod officium suum, prout deberet, per semetipsum non exerceat, sicque suæ obligationi in foro conscientiae non satisfaciat. Probatur consequentia, tum quia pœnæ non sunt exasperandæ, sed potius restan-

genda, c. *Odia restringi*. 15. et c. *In pœnis*. 49. de *Reg. jur.* in 6. cum concordantiis; tum quia in tali casu adhuc obtinetur finis præcepti, videlicet cura animarum, rectaque gubernatio parochianorum, etsi non eo modo, quo deberet, unde licet talis parochus peccet, male officium suum peragendo, non tamen videtur amittere fructus ipso jure, cum illud quoad substantiam adhuc adimpleat.

88. *Ex causis quibus possit parochus abesse, suæque Ecclesiae deservire per vicarium? Generaliter loquendo, ut clericus licite se absentet a beneficio, requiritur causa honesta, et licentia episcopi Residentia parochorum debet intelligi humano modo.* — Quæritur IV. Ex quibus causis possit parochus abesse, suæque ecclesiae deservire per vicarium? Resp. I. Hujusmodi causas esse multiplices; adeo, ut Joannes de Selva *Tractatum*. tom. XV. tract. de *Beneficio*, quæst. 6, viginti quinque earum enumeret. Et quidem generatim loquendo, quæcunque honesta causa, quæ episcopi arbitrio justa reputatur, sufficit ad bimestre tempus absentiae parochi cum licentia episcopi, et constituto interim idoneo vicario. Ita Abbas c. *Relatum*. n. 1. h. t. et Joan. de Selva cit. cap. VI. n. 37. et alii, asserentes, ut clericus licite se absentet a suo beneficio, duo requiri, videlicet causam honestam, et licentiam episcopi; sicque generatim quævis causa honesta, per ordinarium approbata, censetur sufficiens. Garcias part. III. de *Beneficiis*, cap. II. n. 22. et 97. istud exemplificans in causa recreationis, et visitandi amicos, seu propinquos, et hujusmodi. Accedit ratio: quia residentia parochorum debet intelligi humano modo: neque enim quasi compedibus alligati, tenentur semper esse præsentis suæ ecclesiae, sed debet dari aliqua vacatio. Eo præsertim, quia qui parum abest, non censetur abesse, utpote brevi reversurus, juxta dicta superius n. 2.

89. *Quæ causæ in specie excusent parochum a residentia?* — Resp. II. Loquendo de ejusmodi causis in specie, principales causæ excusantes parochum ad tempus a residentia personali cum licentia ordinarii, sunt illæ quatuor, quas concilium Tridentinum sess. 23. cap. I. de *Reform.* enumerat; videlicet « Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens ecclesiae, vel reipublicæ utilitas: » atque (servata proportionem) debent intelligi conformiter dictis supra § præced. n. 42. 43. et seqq. Et quidem.

90 et 91. *Christiana charitas et urgens necessitas excusant parochum a residentia personali; et quando?* — Christiana charitas nunquam postulat parochum abesse, quando abest ad juvandam aliam privatam ecclesiam, vel ad dirimendas lites, aut sedanda odia, quæ inter quosdam suborta fuerunt, et hujusmodi: dummodo ex tali sua absentia non oriatur notabile damnum in propria ecclesia. Barbosa part. I. de *Offic. parochi*, cap. VIII, n. 46. Azarius, part. II, lib. VII. cap. IV, q. 4; Joan. de Selva cit. quæst. 6, n. 9 et 13. et alii.

Urgens necessitas excusat parochum a residentia personali, quando ad tempus abest ob morbum suum curandum; vel ad devitandas capitales inimicitias, contra ejus personam subortas; aut ob aliud vitæ, vel salutis, sive libertatis periculum ad tempus declinandum. Dummodo id fiat de licentia episcopi, simulque constituto idoneo vicario non immineat ex sua absentia detrimentum ovium suarum in spiritualibus: nam si istud subesset, ex nulla causa posset abesse; quia bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis, Joan. X, 17. Barbosa loc. cit. n. 47 cum aliis; et concordant dicta superius § præced. n. 44. et 45.

92. *Quomodo ob capitales inimicitias possit parochus abesse?* — Et quidem, quod attinet capitales inimicitias, posse prælatum vel parochum abesse, patet ex can. *Pastoralis*. 7. q. 1. cum similibus. Circa quod tamen notandum cum Fagnano in c. *Clericos*. n. 25. et 26. h. t. quod in tali casu sacra Congregatio concilii censuerit litteras dare ad episcopum loci, ut si veræ sint et graves inimicitiae, et absque parochi culpa subortæ, licentiam huic det manendi in alio tutiori ac viciniore loco, sed durantibus duntaxat inimiciis, dum tamen non ultra sex menses durent: interim vero constituat idoneum vicarium, suasque partes interponat, ut parochus tuto residere possit. Quod si intra sex menses necdum sedatæ fuerint inimicitiae, rescribit episcopo, ut det illi sex mensium prorogationem, sed sine spe ulterioris prorogationis: postea enim, ut consulatur curæ animarum, induendus est parochus ad resignandum, vel permutandum suum beneficium, arg. c. ad *Supplicationem*. 9. de *Renunciat.*

93. *Quando debita obedientia excuset parochum a residentia?* — Debita obedientia excusat parochum a residentia, quando ipse

abest, ut pareat mandato papæ, vel ejus legati aut episcopi, justum obsequium aut debitum officium imperantis: quale esset visitare provinciam, vel diocesin, aut certam partem illius; vel eidem præsentialiter assistere in certo negotio, ac hujusmodi.

94. *Episcopus non potest uti opera parochi in visitatione, vel servitio suæ Ecclesiæ, nisi pro duobus mensibus.* — Verum circa hoc sciendum, quod episcopus non possit uti opera parochi in visitatione, vel alio servitio suæ ecclesiæ, nisi pro tempore duorum mensium a concilio Tridentino, sess. 23. cap. I. de Reform. permissorum; ac tunc idoneus vicarius deputetur. Et ita a sacra congregatione super cit. cap. I. fuisse declaratum, refert Garcias, part. III. de Beneficiis. cap. II. n. 40. et 42. Barbosa part. III. de Offic. et potest. episcop. allegat. 53. n. 86. Gonzalez ad reg. 8. cancellar. gloss. 6. n. 258. allegans in terminis ipsam declarationem. Jacob. Pignatellus Consultat. canonicar. tom. VII. consultat. 4. n. 3. et 4. et alii.

95. *Neque potest uti opera curati pro secretario, vicario, etc., ultra bimestre.* — Insuper non potest episcopus pro cathedralis ecclesiæ servitio, et item suo, aliquem ex curatis suæ diocesis ab ipsorum ecclesiis avocare, atque constituto in illis idoneo vicario, ad certa negotia adhibere; neque potest uti opera ipsius curati pro secretario, vel vicario, visitatore, fiscali, etc. Pignatellus loc. cit.; Garcias, ubi supra. Barbosa n. 85. et 86; Gonzalez d. n. 258, referens declarationem sacre congregationis concilii. Addit idem Gonzalez, ibid. n. 263. et Barbosa n. 87. eandem sacram congregationem censuisse, quod «Inquisitoris officium exercens, a residentia parochiali non excusatur.» Idemque dicendum de similibus, quando parochus abest ultra duos mentes a loco beneficii, de quo plura citati auctores.

96. *Evidens Ecclesiæ, vel reipublicæ utilitas, quando excuset parochum a residentia?* — Evidens tandem ecclesia, vel reipublicæ utilitas excusat parochum a residentia, quando rite ac legitime citatus, accessit synodum generalem, vel provincialem, aut diocesanam; sicque constituto interim idoneo vicario, abest a sua parochia. Idemque dicendum, quando curatus abest pro lite ecclesiæ suæ, vel pro obtinenda a superiore reformatione in variis emergentibus. Barbosa part. I. de Offic. Parochi, cap. VIII. n. 49.

97. *Dantur nonnulli alii casus in quibus*

*ecclesiæ parochiali potest deserviri per vicarium. Ut quando ecclesia parochialis est unita monasterio, capitulo, etc.* — Resp. III. Extra prædictas quatuor causas dantur nonnulli alii casus, in quibus, jure sic disponente, ecclesia parochialis potest deserviri per vicarium. Sic imprimis fit, quando ecclesia parochialis est unita cuipiam monasterio, capitulo, aliique pio loco: quia tunc in ipsa constituendus est idoneus vicarius cum congrua fructuum assignatione; ut c. De Monachis. 12. de Præbend. et cap. I. eod. in 6. juncto concilio Tridentino, sess. 7. cap. VII. de Reform.

98. *Vel quando ecclesia parochialis accessorie unita est dignitati, vel præbendæ.* — Deinde id ipsum contingit, quando ecclesia parochialis accessorie unita est dignitati, vel præbendæ canonicali in ecclesia cathedrali, vel collegiata. Tunc enim is, qui talem dignitatem, vel canonicatum habet, tenetur residere in dignitate, vel canonicatu, eique per se ipsum deservire: in parochiali vero ecclesia debet constitui vicarius perpetuus. Sextus est in c. Extirpandæ. 30. §. Qui vero de Præbend. addita ea ratione: «Cum opteat eum in majori ecclesia deservire.»

99 et 100. *Secus, quando ex dispensatione apostolica habet quis ecclesiam parochialem, canonicatum, vel dignitatem simul, quia tenetur residere in parochiali.* — Ubi tamen notandum, quod beatus Pius V, in sua constitutione 65. quæ incipit; *Cupientes pro nostri* (et habetur tom. II. Bullar. Roman.), motu proprio decreverit, ut quacunque dispensatione apostolica habentes ecclesiam parochialem et canonicatum, aut dignitatem, etiam post pontificalem majorem, teneantur residere in ecclesia parochiali: «Cum prima (inquit Pontifex) et præcipua debeat esse curam animarum.» Ita tamen, quod sic residentes in ecclesiis parochialibus lucrentur fructus sui canonicatus, vel dignitatis, exceptis distributionibus quotidianis: prout expresse habetur in citata bulla beati Pii V, cujus etiam meminerunt Gonzalez d. gloss. 6. n. 269. et seq.; Garcias cit. part. III. cap. II. n. 179. vers. Septima; Fagnanus c. Quia in tantum. n. 25. de Præbend. et alii. Quamquam hoc ipsum patiatur aliquam exceptionem quoad carentiam distributionum, juxta dicenda inferius § 7. n. 209.

Verum hæc bulla beati Pii V. non loquitur de ecclesiis parochialibus, quæ accessorie, ac in perpetuum unitæ sunt alicui canonica-

tui, aut dignitati; sed duntaxat de ecclesiis parochialibus per se stantibus, quæ tamen ex dispensatione apostolica obtinentur una cum canonicatu, vel dignitate quapiam. Alioquin enim ecclesia accessorie, ac in perpetuum unita dignitati vel canonicatui, induit quasi naturam hujus; et sortitur proprietates ipsius dignitatis, seu canonicatus simplicis, cui tanquam principali fuit accessorie unita, atque efficitur ipsius prædium. Et hoc respectu in cit. § Qui vero de Præbend. dignitas, vel canonicatus, censetur major ecclesia parochiali; atque juxta dictum paragraphum oportet residere in ecclesia dignitatis, aut præbendæ, veluti in majori, constituto interim in ecclesia parochiali idoneo vicario. Fagnanus c. Extirpandæ. cit. § Qui vero, n. 29. de Præbend. et alii.

101. *Quando quis habet duas parochias, in qua debeat residere?* — Tertio id contingit, quando quis habet duas parochias invicem perpetuo unitas æque principaliter, et non una earum alteri unita accessorie, idemque dicendum, quando quis simul habet duas parochiales ecclesias ex legitima dispensatione apostolica. Tunc enim hoc ipso, quod non possit replicari, seu se dividere in duos, serviet alteri ecclesiæ per vicarium, arg. cit. c. Extirpandæ. 30. § Qui vero de Præbend. Ita tamen, ut resideat in digniori: vel si ambæ sint pares, adeo ut neutra sit dignior, vel principalior altera possit residere, in qua maluerit. Gonzalez ad reg. 8. Cancellar. Gloss. 6. n. 268. et 269; Barbosa part. III. de Offic. et potest. episcop., allegat. 53. n. 82; Garcias cit. part. III. cap. II. n. 179. vers. Decima sexta asserens sacram congregationem concilii ita declarasse, atque rescripsisse episcopo Abulens. 15 Martii 1573, ubi etiam universim viginti septem declarationes ejusdem sacre congregationis huc facientes allegat.

102. *An propter pestem grassantem: vel hostilem incursum, excusetur parochus a residentia personali? Refertur sententia affirmativa quorundam.* — Quæritur V. An propter pestem grassantem, vel hostilem incursum, excusetur parochus a residentia personali? Resp. I. Etsi non pauci doctores ad urgentem necessitatem, quæ excusat curatum a residentia personali, reducant bellum, sive hostilem incursum, ac pestem sævientem; ut Azorius part. II. lib. VII. cap. IV. quæst. 4; Pirhing h. t. n. 23, et alii: nihilominus hæc doctrina sic universaliter tradita non

subsistit, nisi benigne, ac modo sequenti intelligatur, juxta declarationem sacre congregationis, quam refert Fagnanus in c. Clericos. n. 38. et seqq. h. t.

103. *Teneri parochum tempore pestis (vel belli) residere, declaravit sacra congregatio concilii; et qualiter?* — Imprimis enim sacra congregatio concilii Tridentini ad dubia, instante sancto Carolo Borromæo, archiepiscopo Mediolanensi, et S. R. E. cardinale proposita, 1576, die 11 octobris, respondens declaravit. Parochos tempore pestis teneri in parochialibus residere. Quod ipsum ob paritatem rationis intelligendum est de tempore belli, seu hostilis incursum, ne tempore tam periculoso destituantur oves spirituali auxilio pastoris sui; contra illud salvatoris, Joann. x, 17. *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Deinde eadem congregatio censuit, parochum teneri eodem tempore parochianis suis peste laborantibus ministrare duntaxat duo sacramenta, nempe Baptismum, et Pœnitentiam, seu Confessionem: posse tamen ea ministrare vel per se, vel per alium (cæteroquin idoneum) ea potissimum ratione, ut parochus possit audire confessiones sanorum, qui alias eum reformidarent, si viderent ipsum accedere ad pestilentes, sicque nollent ipsi confiteri, veriti contagionem: utque etiam ipsemet parochus conservata sanitate officio hortandi, prædicandi, consolandique suos parochianos uberius, et plenius fungi valeat. Ita Fagnanus cit. c. Clericos. n. 38 et 39, h. t. postea referens nonnullas alias sacre congregationis declarationes, et quidem approbatas a sanctissimo, quæ omnes tendunt in id ipsum; videlicet, parochos tempore pestis teneri residere, atque memorata sacramenta omnino ministrare vel per se, vel per alium idoneum substitutum.

104. *Et quomodo contra parochos tunc absentes sit procedendum?* — Insuper dicta sacra congregatio concilii declaravit, parochos contumaces non ideo statim privandos esse suis beneficiis, quod tempore pestis absint a suis ecclesiis: sed agendum prius bonis verbis, et piis cohortationibus, atque admonitionibus: ac postmodum præmisso edicto, seu monitione, contra eos procedendum esse, sicuti concilium Tridentinum, sess. 23. cap. I. de Reform. mandavit: videlicet, primo per censuras ecclesiasticas; secundo per sequestrationem, et subtractionem fructuum; ac tandem per alia juris remedia, etiam us-

que ad privationem beneficii. Fagnanus loc. cit. n. 41. Adde dicta superius n. 63. et 65.

105. *Cur parochus possit discedere causa curandæ infirmitatis, et non tempore pestis, aut belli?* — Objicies autem contra priorem declarationem sacræ congregationis. Potest parochus de licentia episcopi, ac substituto idoneo vicario, discedere a loco beneficii causa curandæ infirmitatis, pergendo, v. g. ad thermas etc. aut causâ declinandarum capitalium inimicitiarum, juxta dicta n. 91. et 92. Ergo eadem ratione poterit recedere tempore belli, aut pestis grassantis: ne alioquin sani fugerent parochos, simulque parochi omnes brevi morentur, aut ab hostibus occiderentur, cum magna jactura reipublicæ christianæ. Resp. neg. consequent. cum sua probatione. Quia exinde ad summum sequitur, quod parochus tempore pestis possit sacramenta per alium ministrare hoc morbo laborantibus: non autem, quod possit a sua parochia recedere, atque a personali residentia excusetur, ob dicta n. 103. Neque urget adducta instantia de parochio infirmo, ad thermas v. g. discedente, vel capitales inimicitias declinante. Disparitas enim est inter casum, quo solius parochi vita periclitatur ob contractum morbum adhuc curabilem, vel ob capitales inimicitias ejus particulari personæ imminentes; et inter casum, quo omnibus parochianis communiter tale periculum imminet: ut tempore pestis, belli, ac hujusmodi. In priori enim casu bene potest parochus cum licentia episcopi, et constituto idoneo vicario recedere, quia ex suo discessu nullum imminet parochianis, seu ovibus suis periculum; cum vita duntaxat sua privata periclitetur, simulque per constitutum vicarium æque possit esse tuta salus parochianorum. Secus dicendum in altero casu, ubi commune periculum subest, atque parochus residens adhuc potest prodesse sanis, ipsosque exhortando, consolando, verbum Dei proponendo, ac sacramenta administrando, in via mandatorum divinorum corroborare. Adde dicta superius § præced. n. 44. et 45.

106. *Cautelæ tempore pestis a parochis, eorumque vicariis observandæ.* — Resp. II. Notandum tamen est parochis, atque constitutis ipsorum vicariis, ut tempore pestis in administrandis sacramentis caute se gerant, ne ex ipsorum præmatura morte plures alii spirituale damnum patiantur. In quem finem plures regulæ, seu cautelæ, dari solent a

medicis atque theologis: uti sunt, ex præscripto medici habere ad manum bona præservativa contra pestem: ægrotos non visitare jejuno stomacho; aut, si necessitas urgeat (nam morbus hic dilationem non palitur) apponere ad nares parum theriacæ, aut strophilum aceto tinctum, vel aliud hujusmodi præservativum. Salivam, utpote vehiculum malignitatis, apud tales infirmos non deglutire, sed semper expuere. Limonibus, aut eorum corticibus, ante accessum infirmorum vesci, quod esse saluberrimum remedium docuit experientia: aut alio tali præservativo cor contra venenatum aerem præmunire. Insuper excepturus confessionem ægri peste laborantis, audiat eum a longe; et si fieri potest, curet, ut accedat ad fenestram, vel januam; sin minus, jubeat, ut in cubiculo decumbentis fiat fumus salutaris contra pestem, atque ægrotus vertat faciem ad alteram partem, tegumenta quoque lectuli non moveat, ne venenatus ejus halitus, aut aer e lectulo egrediens apprehendat confessarium, ipsumque pariter inficiat. Tacentur aliæ tales cautelæ, simulque modus in administratione sacramentorum tunc observandus, de quo, præter propria Ritualia diœcesana, videri poterit. Layman lib. V. tract. VI. cap. XIII. n. 4. Engel, h. t. n. 19. et Joannes Chaparville in tractatu, *De necessitate et modo ministrandi sacramenta tempore pestis.*

## § IV.

## DE RESIDENTIA CANONICORUM, ET CLERICORUM SIMPLEX BENEFICIUM HABENTIUM.

107. *Canonici ecclesiarum cathedralium et collegiatarum, tenentur residere, adeo, ut non possint ultra tres menses singulis annis abesse.* — Quæritur I. Quia ratione canonici ecclesiarum cathedralium, et collegiatarum, residere teneantur? Resp. I. Omnes isti tenentur residere in Ecclesiis suis; adeo, ut non liceat ipsis ultra tres menses ab eisdem quolibet anno abesse: salvis tamen earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt, sicque absentiam trium mensium non concedunt. Textus est in concilio Trident. sess. 24. cap. XII. *de Reform.* § *Præterea*, ubi taliter statutum legitur: *Præterea* obtinentibus in eisdem cathedralibus, aut collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore cu-

juslibet statuti, aut consuetudinis, ultra tres menses, ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse: salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt. » Hæc ibi. Concordat c. *Conquerente*. 6. et cap. penult. h. t. et c. *Extrpandæ*. 30. § *Qui vero. de Præbend.* ubi satis indicatur, canonicos esse adstrictos ad personalem residentiam.

108. *Nec satisfaciunt suæ obligationi, nisi cantent in choro, cæteraque officia personaliter peragant. Notabilis admonitio sancti Caroli Borromæi quoad hoc.* — Resp. II. Quantum est de rigore juris communis, canonici, cæterique proxime enumerati, non satisfaciunt suæ obligationi exhibendo duntaxat suam præsentiam in choro, nisi etiam cantent, cæteraque consueta officia juxta ordinatam alternationem personaliter peragant. Ita Barbosa cap. XX. *de Canonicis*. n. 13. referens declarationem sacræ congregationis consilii, sub die 20 aprilis 1602, respondentis eos teneri omnino psallere; alioquin obligationi suæ non satisfacere. Fagnanus c. *Licet*, n. 89. *de Præbend.*, asserens articulo hoc diligenter discusso in canonicis basilicæ sancti Petri de Urbe, ita declarasse sacram congregationem die 12. novembris 1592; Garcias, part. III. *de Beneficiis*, cap. II, n. 324, 325, et seqq. allegans plures hujusmodi declarationes. Idque clare patet ex concilio Tridentino cit. sess. 24. cap. XII, § *Omnes vero. de Reform.*, in hæc verba statuente: « Omnes vero divina per se, et non per substitutos, compellantur obire officia, et episcopo celebranti, aut alia pontificalia exercenti assistere, et inservire: atque in choro, ad psallendum instituto, hymnis, et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devotèque laudare. » Unde sanctus Carolus Borromæus in *Monitionibus ad Canonicos*, per Barbosam, part. III. *de Offic. et potest. Episcop.*, allegat. 53, post n. 181. relatis, inter alia sic loquitur: « Vos, qui in cathedrali Ecclesia dignitates obtinetis, canonici item — attente, studiose, rite, pie, religiose divinas laudes concelebrate; et psallite Deo in conspectu angelorum, cantantes in cordibus vestris Domino. In choro nemo privatim, nemo tacite officium recitet; sed omnes pariter, quicumque adestis, senes cum junioribus laudate nomen Domini in psalmis, hymnis, et canticis. » Hæc ille. Accedit ratio: quia *Residere* nihil aliud est, quam Ecclesiæ personaliter deservire in divinis officiis, c. *Conquerente*.

6. h. t. cum similibus; estque jam dictum supra n. 3. et 4.

109. *Rigor juris communis non ubique est usu receptus.* — Additur tamen in conclusione, « Quantum est de rigore juris communis. » Fatendum enim est, quod rigor iste juris canonici, sacræque concilii Tridentini, non ubique sit usu receptus, vel saltem non nihil contraria consuetudine temperatus. Nam alicubi solent quidem canonici alternis vicibus, saltem in festis principalioribus, officiatores agere, atque episcopo solemniter celebranti assistere, et ministrare, vel etiam antiphonarum initia canendo inchoare: reliqua vero constitutis musicis vel capellanis suis, cantu prosequenda, seu peragenda relinquere, atque interim meditando, sive privatim Horas canonicas, aliasve preces recitando, choro decenter atque reverentialiter assistere: idque sic permittente longæva consuetudine, arg. cap. ult. *de Consuetud.* cum similibus.

110. *Valetque contraria consuetudo.* — Et quidem hujusmodi consuetudinem valere, censet Gavantus, tom. II. *at Rubric. Missal.* sect. 1. cap. v. tit. V. n. 4. monens tamen episcopos, ne fiat abusus. Azorius, part. I. lib. X. cap. XI. quæst. 5; Lessius, lib. II. *de Justit. et jur.* cap. XXXIV, dubit. 33. n. 185; Garcias, part. III. *de Benefic.* cap. II. n. 517. ac seqq.; Sannig, h. t. cap. IV, n. 9; Castro Palao, part. II. disp. 3, punct. 3, n. 55, pluresque alii ab his citati. Accedit ratio, quia talis consuetudo non est contra jus naturale, vel divinum, sed contra ecclesiasticum duntaxat; ergo subintrat dispositio cap. ult. *de Consuetud.* Eo præsertim, quia hujusmodi consuetudo non est contra rationem, nec continet turpitudinem; quin potius videtur promovere decorem, atque splendorem ecclesiarum, hac ratione varios habentium ministros ad cultum divinum deputatos, per quos etiam divinum officium magnificentius et suavius decantari solet, cum canonici sæpius voce, suavitate, vel peritia canendi careant. (ADNOTATIO XLIV.)

111. *De jure communi tenentur canonici omnibus horis singulisque diebus interesse, excepto trimestri.* — Resp. III. De jure communi tenentur ulterius canonici omnibus Horis, singulisque diebus interesse, excepta trimestri proxime declarando. Ita Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episcop.* allegat. 52, n. 133; Garcias, cit. cap. II. n. 324, 325. et seqq., id desumens ex verbis concilii Tridentini, d.